



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoquoque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput VII. De tertio instrumento, quod est consideratio: deque duplici
considerandi Deum modo, considerandi nempe in rebus creatis, &
considerandi in se ipso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

vat fatis potest repensum putari! O merces,
quæ quamvis toto hominis censu constaret;
nequit dici, nisi per gratuitam largitionem
oblata.

CAPUT VII.

De tertio instrumento, quod
est consideratio, deque duplici con-
siderandi DEUM modo, considerandi
nempe in rebus creatis, & consideran-
di in se ipso.



Ed neque animi puritas totum de-
nique id est, quod orationi su-
peraddere oportet, ut quæsitam
DEI cognitionem certò assequa-
mur. Desideratur præterea, ut, post impe-
tratum animæ lumen divinum, postque inte-
riorem illius visum à terrena quavis labe e-
mundatum, eam porrò, quàm attentissimè fi-
eri potest, in cælesti suo objecto figamus.
Quemadmodum enim oculorum acies, esto
acutissima sit, & vel subter humum obtutu
pervadens, qualem in Lynceo fabulatrix an-
tiquitas finxit; totâ tamen hujusmodi perspi-
cacitate nihil juvatur ad videnda ea objecta,
quæ intueri prætermiserit; sic, quantumlibet
di-

divinitus illustrata, & omnino pura mens sit, nihil tamen ex hisce dotibus adjumenti, ad DEUM cognoscendum percipiet, si negligat ad illum se convertere, illi contemplando vacare, illiusque singularem essentiam, immensam magnitudinem, & reliquas incomparabiles prærogativas sedula consideratione rimari.

2. Quod si quispiam hinc objiceret, divinam sapientiam merum esse Numinis donum, quodque ideo, nulla nostrarum speculationum & artium ratione habita, à summa duntaxat illius bonitate nos suppliciter petere, fidenterque expectare oporteat; nã is rudem atque ignarum se ostenderet consuetæ rationis, qua DEUS in suis utitur dispensandis muneribus: falsò nempe sibi persuadens, quia, ad hæc consequenda, nostri omnes conatus per se impares sunt, nullos à DEO nostros conatus, ut ea nobis largiatur, requiri. Cùm è contrario manifesta inductione evincatur, nisi nos illud minimum, quod præstare infirmitatis nostræ est, in medium contulerimus; neque DEO moris esse maximum illud, ac penè totum adjungere, quod expectari à munificentia, & virtute illius potest. Hinc scientissimi quique rerum spiritualium viri, quoties munere aliquo indigent, cui consequendo

do

impares sint; neque id à propriis viribus, neque sinè harum concursu illud sperant (quod Beato Parenti nostro Ignatio usitatum fuisse traditur) cum perfecta unius divinæ opis fiducia summam pariter in humanis adhibendis præsiidiis diligentiam; ità omnes sedulitatis suæ nervos ad propositæ rei effectum contendunt, quasi hic à sola sua industria, & virtute penderet: rursumque ità eundem à DEO unicè expectant; ac si nihil pro ipso obtinendo impendissent studii & laboris. Neque, quòd DEUS piis quibusque hominum precibus sese promiserit subscripturum, idonea illis ratio videtur, ut, eo rite implorato, reliquam omnem suam operam, quasi omnino supervacuum & inutilem missam faciant: quemadmodum non ideo, quia revelatum sancto Paulo divinitus fuerat, se & cæteros omnes, qui simul navigabant, ab imminente naufragio evasuros; negligentior ipse est factus in procuranda ordinariis & communibus modis salute, tanquam si opus minimè his foret, ubi sua cælum spondebat auxilia. Nequaquam à vulgari hoc paralogisimo fucum sibi fieri consultissimus ille Gentium Doctor permisit: sed animadverso nautas fugam moliri, quòd de oneraria desperassent, & scaphæ præsidio fortutius evasuros confiderent, quàm securè paulo

lò antè vectoribus universis incolumitatem promiserat iis verbis: (*Act. 27.*) *Astitit mihi hac nocte Angelus Domini, dicens, nè timeas Paulle: ecce donavit tibi Dominus omnes, qui navigant tecum; tam disertè mox iisdem subjecit, si navigium suis destitueretur ministeriis, actum esse de illorum salute: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Noverat quippe, DEUM velle, ut administri illius erga nos munificentia sumus: & imbecillitati quidem, non verò etiam ignavia se invocantium succurrere. Quæ veritas manifestè adeò patet, ut neque Ethnicorum vulgus latuerit, apud quos proverbio ferebatur: *Ubi manum operi admo-veris, fortunam invoca.* (*Plut. de Just. Lac.*)

3. Nemo igitur se inani spe fallat, existimans, post efflagitatum à DEO sapientia suæ donum, nihil sibi ultra agendum superesse, sed eam protinus suæ menti illapsuram, pro-ut olim Spiritus sanctus igneis in linguis super capita Apostolorum descendit: aut velut Judæorum populo, nihil interim allaboranti, ultronea è cælo depluebat annona: sed unusquisque pro certissimo sibi persuadeat, nisi sedulum meditandi, legendique studium ad precationem adjunxerit; nunquam fore, ut ex ordinaria & communi providentiæ lege vel mediocrem DEI scientiam obtineat. Ex

or.

ordinaria & communi lege, inquam, quæ sola prudentibus vivendi, agendique norma est. Esto namque, idiotis quibusdam & rudibus DEUS interdum vel sinè prævio eorum studio perquam uberem sui notitiam infundat; huiusmodi tamen largitas, prout cuique apertissimum est, gratuitum potius paucorum privilegium existimari debet, quàm consuetudo, quæ ad omnes indifferenter pertineat. Imò, quamvis crebra & ordinaria illius cernerentur exempla; audacter nihilominus dixerim, nunquam fore, ut in illis cernantur, qui eandem sibi sortem inertis arrogantiam promittant: expectantes alis à DEO instrui, quibus illico ad metam propositam evolent, aut instar Eliæ cælesti curru illuc subvehantur; negligentes interim pedum ministerio uti, communia nimirum, & cuivis obvia instrumenta adhibere: quæ si quis impigre adhibeat, licebit ei facere, DEO conatibus illius aspirante, etiam per iter ordinarium extraordinarios progressus.

4. Atque hoc innuisse nobis Salomon videtur, ubi scripsit: (*Sap. 1.*) *DEUM inveniri ab his, qui non tentant illum.* Siquidem ex D. Thomæ, (*2. 2. qu. 47. a. 2.*) ac communi Theologorum sententia, ii DEUM dicuntur tentare, qui citra necessitatem patrari ab eo mi-

racula exigunt: ità ut sola divina sua vi, & nobis omnino cessantibus, eos effectus producat, qui secundum communis providentiæ ordinem nostram quoque cooperatationem desiderant. Idque ipsum apertissimè comprobavit Christus, dum (Matt. 4.) fuggerente diabolo, ut è summo templi cacumine se deorsum præcipitem daret, Angelorum excipiendus manibus, nè quid noxæ ideo pateretur; temerariam hujusmodi prodigiosæ, minimæque necessariæ opis fiduciam, tanquam DEI tentationem, in sacris eloquiis damnatam, rejecit. Quapropter Salomon quoque, dum inveniri DEUM docet ab his, qui illum non tentant; ità intelligendus videtur, quasi sub aliis æquivalentibus verbis inveniri ab iis illum doceat, qui in quærenda illius cognitione haudquaquam expectant, ut hæc sibi, penitus otiosis, & nihil pro virili sua parte conantibus, per extraordinarium cæli munus obveniat.

5. Quin imò tantùm abest sapientissimus ille Rex ab existimando, DEI scientiam finè ullo inquisitionis nostræ studio repertum iri; ut neque ordinario & vulgari quovis studio in ea vestiganda contentus sit, sed aviditatem, & solertiam, thesauros perscrutantium requirat: *Si quæseris eam, inquiens (Prov. 2.) quasi pe-*

ca-

cuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc scientiam DEI invenies. Agedum, imaginare hominem, ad cuius aures thesauri subterranei rumor pervenerit. Quanta confestim illius cupiditate succenditur? quàm anxie ad inquisitionem se accingit? Quo ardore, & conatu effodiendi laborem aggreditur? ut præ vicini spe lucri, quantamcunque operis diurnitatem non sentit? ut prædâ jam detectâ in eam totus effunditur, sese urget, prope-rans omni studio effossam colligere, faccis inferere, & quantocyùs in tutum subducere? Quantâ demum curâ & solitudine, suis licet è latebris totam eruerit; pergit nihilominus omnia circumquaque rimari, & altiùs altiùs-que, humum effodere, nè quam fortè pretiosi depositi partem inobservatam relinquat? Talem igitur Salomon nostram quoque in DEO, & cælesti ejus scientia perquirenda, sedulitatem vult esse. Vult nos vigilare, fatigare, assiduè operi instare, nihil diligentia & laboris omittere, nec unquam cessare, aut dicere, satis est; quoadusque aliquid superet, (ceu semper superabit) ulterïoris notitiæ assequendum. Vult denique, juxta Eusebii Emis-senii sententiam, (Hom. 3. ad Mon.) *Tanto incitari studio, tantòque inardescere affectu, ut cum præmii dignitate desiderii magnitudo concordet.*

Nul-

Nullus, ubi de tam inæstimabili quæstu agitur, gravis videri debet labor, nullum justo carius pretium, nulla sollicitudo, & operositas nimia. Pretiosa, & concupiscibilis merces avidum negotiatorem requirit: & lentum quærere gratiam divini muneris, maxima est injuria remuneratoris. (Ibid.)

6. Quanquam multò minùs ego hìc à te postulo, quàm Salomoni visum est postulare. Non exigo indefessum illum animi ardorem, quo ad effodiendos thesauros incumbere mortalium avaritia consuevit. Satis mihi est, si divinam sapientiam non impari quæras studio, ac quo digna quæri videtur vel drachma, numismatis genus Romano denario respondens. Possúmne moderatius tecum agere, æquiores tibi conditiones offerre, minùs aliquid poscere? Atqui vide, amabò, imò quid non faciat illa in D. Lucæ Evangelio (c. 15.) mulier, quò unam ex decem suis drachmis fortè amissam inveniat. Parum illi est lucernam accendere, parum everrere domum. Pergit ulterius, in omnem se partem convertere, intentos quaqueversus oculos circumagere, obvia quæque iterum iterumque excutere, abstrusissimum quemvis angulum sollicito indagatu perscrutari, nihil demum non moliri, quoad deperditum numum reperiat: Et quærit

rit diligenter, donec inveniatur: tantis mox lætitiis incedens, effusèque sibi plaudens, ut omnem latè viciniam hilari strepitu compleat, nec ulla sit in circumjectis ædibus mulier, quam fortis suæ nuntio non impertiat, & ad sibi congratulandum invitet. *Convocat amicas, & vicinas, dicens, congratulamini mihi.* DEUS bone! tantumne studii, tantum diligentia, tantum tumultus promeretur una argenti gutta, unus numulus tam exigui valoris? Et tamen quam multos in ficta hac imagine licet nobis verè expressos agnoscere? Agnoscere licet certè universam Ethnicorum sapientum turbam, eorumque flagrantissima studia, & assiduos labores, cujus tandem inveniendæ rei causâ? cujus, inquam, nisi ignobilis drachmæ? Talis quippe, & tantuli pretii est, si suis rite perpendatur momentis, & cum cælesti sapientia comparetur humana omnis doctrina. Ità fanè: nihil amplius drachmâ quæsitum ibant Plato, & Pythagoras peregrinationibus, ad remotissimas Ægypti, atque Persidis scholas susceptis. Nihil drachmâ amplius Chryssippi, & Archimedes indefesso suarum contemplationum labore. Nihil drachmâ amplius Democriti, & Anaxagoræ sua tam pertinaci contentione in naturæ perferutandis arcanis. *Qui omnes, proh! quàm acriter ad*

H

in-

intentissimam Dei considerationem suo exemplo nos provocant? Quântoque nobis essent pudori, si, cùm ipsi pro vulgaris numi quæstus tantum laboraverint, segni contra remissionem nos animo divinam quæreremus scientiam, thesaurum inæstimabilis pretii; ut (*Sap. 7.*) *Omne aurum in comparatione illius arena, & tanquam lutum aestimetur argentum in conspectu illius?* Certè (pargit citatus suprâ Emillenus testari) pro industria & sedulitate, quàm ei requirendæ impenderit, illius item acquisitio erit: quântoque majori nos conatu ad contemplandas DEI perfectiones animum intenderimus; tantò præientiori ejus ope ad easdem pernoſcendas juvabimur. Quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adiutorium. Quamobrem sanctus David inter omnes sacræ hujus scientiæ professores illos specialiter appellat beatos, quibus non satis est qualicumque modo eam quærere, sed quantâ possunt maximâ mentis contentione atque curâ illi vacant. (*Pf. 118.*) *Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde suo requirunt eum.* Beati procul dubio: quantam enim supernaturalis luminis affluentiam è cælo haurient? quàm peculiariter sese DEUS revelabit? Quàm altè illos in suorum mysteriorum penetralia introducet? Denique ipsi sunt,

sunt, qui esuriunt, & sitiunt æternam veritatem, supremamque justitiam. Quidnam igitur reliqui est, nisi, ut secundum divini Verbi promissa, (Matt. 7.) *saturentur* pabulo tam flagranter optato?

7. Sed quorsum diutiùs in asserenda veritate immoramur, quæ satis per se ipsam se prodit? Cognitio DEI, nisi per suum exercitium, & actum præsens in animo sit; inutilis prorsus homini est, nullumque ex illis fructibus parit, quorum causâ tantum æstimationis meretur. Jam verò divinarum rerum consideratio ipsissimum est divinæ cognitionis exercitium: nimirum DEI repræsentatio, qualem ipsum jam novimus, unâ cum voto, & conatu eum plenius noscendi. Quapropter nullo fieri modo potest, ut, qui cognitionem DEI amat, & quærit, considerationem DEI negligat. Cùm hæc ita vim, rationemque instrumenti ad eum finem opportuni habeat, ut ejusdem finis possessio aliquatenus fit.

8. Demonstrato jam igitur, quanta hujusce instrumenti necessitas sit; superest porrò, ut conemur facilorem illius reddere usum, distinguendo duplicem modum, quo adhiberi utiliter potest. Alter itaque est, cùm à rerum creaturarum bonitate & præstantia, ad fu-

premi earum Procreatoris agnoscendam bonitatem & præstantiam conscenditur. Alter verò, cum mentis obtutus sine ullis ambagibus, & diversarum imaginum adminiculis, in divino suo objecto confestim defigitur. Utentes primo in suis DEUM effectis spectamus: utentes posteriori, eum nobis, qualis est in se ipso, proponimus. Reflexus ille est, magisque præsentis vitæ proprius, in qua, teste Apostolo, *Videmus per speculum in enigmate*: rectus hic, atque simplex, & nonnullam proinde affinitatem habens cum posthumæ immortalitatis visu, quem idem Apostolus *facie ad faciem* futurum, testatur. Alter, ceu ipsorum sensuum speciebus adjutus, ad invisibilis sui objecti cognitionem nos facilius perducit: alter, utpote à sensibilibus formis abstractus, sublimiori, & magis propriam ejusdem intelligentiam nos instruit. Rectè primum comparatur cū ascensione per scalam tot structam gradibus, quot rerum creaturarum species menti se objiciunt, similem alterum diceret volatui illius *Aquile magnarum alarum*, quæ apud Ezechielem, (c. 17.) evehcta super Libanum, *tulit medullam cedri*: cum hinc quoque rationis, fideique alis sublevetur animus ad eruendam, degustandamque divinarum perfectionum medullam. Hæc igitur duæ sunt rationes, & viæ, quibus in con-

siderando DEO uti possumus. Déque illis
 propterea in hac prima instituti operis parte
 pergemus nos deinceps differere: ab ea initi-
 um sumentes, quæ in visibilibus suis effectis
 DEUM quærit, cujusque & maximè facilis, &
 conveniens unicuique usus est. Nam, secun-
 dùm D. Gregorii animadversionem, in quem
 quisque locum decidit, ei debet inniti, ut re-
 surgat. Cùmque tam sæpe noster animus per
 inordinatum amorem à DEO in hæc sensibilia
 devolutus sit, his ipsis pro fulcimento uti de-
 bet, quò se ad eum rursus attollat, ibi appri-
 mens considerationis manum, ubi affectionis
 pede est prolapsus. *Quocunque se verterit ani-
 ma, (en sancti Doctoris verba) si vigilanter
 intendit, in iisdem ipsis DEUM invenit, per quæ re-
 liquit: ejusque potentiam ex eorum consideratione
 cognoscit, quorum amore deseruit. Ubi enim lapsi
 sumus, ibi incumbimus, ut surgamus: & quasi ibi
 surgendo considerationis manum figimus, ubi amo-
 ris lubrici pede corruentes negligendo jacebamus.
 Quia enim à visibilibus per visibilia cecidimus, di-
 gnum est, ut ad invisibilia ipsis rursus visibilibus
 innitamus: dum, sicut dictum est, illa nos ad DE-
 um, bene considerata, revocant, quæ nos ab eo,
 malè electa, diviserant. (L. 26. Mor. c. 8.)*